

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Apud Johann. Herebord. Klosium, Anno 1707.

VD18 11417161

Lib. X.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)

EPISTOLARUM

PAULI MANUTII

Lib. X.

AMPLISSIMO CARDINALI
JOANNI MORONO.

E P I S T. I.

Pollicitus fuerat Moronus Manutius, se cum Pontifice Max. acturum, ut pensio annua ipsi persolvatur. Cum vero intellexerit, ipsum de hoc negotio in conventu quorundam Cardinal. acturum, queritur, sed valde modeste, de hac consilii mutatione. Cum vero sciat, ipsum nihil sine ratione acturum, rogat ipsum, cujus fidei & clientela se totum commiserit, ut negotium hoc perficiat, & se ex periculo liberet, quo ante autumnum Venetias proficisci possit.

Form. commendandi se alteri, & ejus judicio aliquid permittendi. Ibi: Interea me tibi totum. (A)

Turpe est scribere sapienti, quid agat, & quomodo agat: neque ego id unquam commiserim: neque id est aut consuetudinis, aut naturæ meæ: veruntamen excusandus fortasse videar, si vel à mea maxima re, quæ nunc agitur, vel ab humanitate tua, quam omnes norunt, & prædicant, persuaderi me patiar. ut agam paulo liberius, quod sentio; & quæ animo meo sum meditatus, eadem nunc expromam.

M m

m m

nihil dissimulans, nullo veritatem artificio tegens. Ego, vir præstantissime, quod putavi, te, uti pollicitus eras, acturum esse cum Pont. de causa mea, lætabar vehementer, & in hac adversa valetudine, quæ mihi omnem abstulisse jucunditatem videbatur, aliquam tamen voluptate perfruebar. Sperabam enim fore, ut auctoritas tua, prudentia, eloquentia, præsertim in optima causa, faciliè impetraret ab æquissimo ac benignissimo Principe non immoderatum aliquid, aut ejusmodi, quod invidiam excitare posset: non enim ego ita efferri cupiditate soleo; quid igitur Annuam tantum ordinarii stipendii solutionem; ut, quemadmodum Pius Quartus Pontifex, immortalis memoriæ dignus, venientem ad Urbem insigni viatico donaverat: sic Pius Quintus, omni virtute ac laude præstans, ab Urbe discedentem non modo simili, sed majore etiam munere prosequeretur. In quo ratio videbatur habenda ætatis meæ, habenda valetudinis, habenda etiam meritorum meorum. Quamquam de meritis, ita me DEUS amet, loquor non libenter: adversatur enim modestia mea: sed hoc verbum expressit ab invito dolor, & eorum temporum memoria, cum in meum nomen invehebantur multi, aliena conferentes in me, mea mihi detrahentes. Hoc igitur alloquendi Pontificis, & cum eo statuendi, consilio tuo, quasi rebus meis nulla jam tempestas immineret, & quasi jam in portu navigarem, ita lætabar. Postea verò quàm de Mariano Victorio, summæ probitatis, raræ doctrinæ, excellentis industriæ viro, cognovi acturum te esse de

de negotio meo in eo conventu, qui primus habebitur eorum Cardinalium, quibus atendorum in Urbe studiorum, moderandique Gymnasii publice demandata cura est; plane sum admiratus mutationem consilii; & ut ingenuè fatear, quemadmodum natura mea fert, nec bonitas tua recusat, ex alta quadam spe turbatus concidit, afflictusque jacet animus meus. Equidem iis Cardinalibus tantum tribuo, quantum eorum summa virtus, ac dignitas postulat: æque omnes diligo, æque colo: sed ad eos certè nullam arbitror negotii mei partem attinere. A Pontifice sum Romam accersitus: à Pontifice discedendi facultatem peto. Si potestas quaritur: unius est summa. Si liberalitas: unus unico verbo pollicetur, & præstat. Si dignitas: quæ major est, quam à Pontifice vocatum esse, à Pontifice cum benignitate dimitti? Hæc mea consilia sunt: quibus tamen, ut debeo, anteponom tua. Satis enim exploratum habeo, nihil te cogitasse sine summa ratione, nihil acturum sine summa prudentia. Et mihi, parum in usu rerum versato, obscura multa sunt: tu tanquam lynceus vides omnia, probatus per totam ætatem iis actionibus, & curis, unde salus publica minimè dubio bonorum omnium testimonio manavit. Ego me semel, non temerè, aut repentina quadam voluntate impulsus, sed explorata ratione, certoque judicio adductus, in clientelam tuam tradidi: me liberosque meos tuæ potissimum fidei, benevolentiaque commisi. Eadem mihi perpetuò mens, eadem, quod vivam, in te uno sita spes erit. Tu me ornandum,

sugendum, tuendum suscepisti: sæpè vidi pro varietate rerum mearum, & lætitiâ, & sollicitudinem tuam: nunc tanquam bonus artifex tuum ut perpolias opus ac perficias oportet. Expedi, obsecro, me hac molestia: vel potius, hoc me periculo libera. Vides enim, cum Romano cœlo minimè jam convenire mihi posse, adductam esse in extremum ferè discrimen salutem meam: autumnum adventare, cujus varietatem, & inconstantiam, hic si permanfero, mea certè nequaquam feret imbecillitas: Venetias multis nominibus cogito. Idque mihi primum est præter cetera optandum: sed si vel per Pontificem, quod non opinor, vel per quotidianam febrem, quod magis metuo, patriam, longo terrarum ac maris intervallo disjunctam petere non licebit: deponam voluntatem meam, suscipiam eam, quam necessitas afferet. Accedam ad Sabinos colles: quos florere audio regionis amœnitate, cœli temperie, omnium rerum, quæ hominum victus, cultusque desiderat, ubertate. Inter ea me tibi totum, (A) salutemque meam, quam suppliciter possum, commendans, ac tradens, negotii administrandi rationem singulari tuæ sapientiæ permitto. Vale. V. Kalend. Septemb. M.D.LXX.

AMPLISSIMO CARDINALI

GUILIELMO SIRLETTO.

EPIST. II.

Agit Sirletto gratias pro contentione de impetrando, à Pontif. viatico, quamvis nihil sit perfectum propter

rem-

temporum difficultatem : Et quanquam dolet, sibi suis sumptibus in patriam redeundum esse: tamen otium nactus, se reliquum vitæ tempus sibi, bonis artibus & Deo videtur scribit.

AUgeri tua vetera erga me merita recentibus officiis, nec miror, & vehementer gaudeo. Quanquam veteribus contentus esse poteram; erant enim ejusmodi, ut addi nihil posse videretur: sed tamen, ut video, tua nunc quiden ad ea permultum addidit humanitas. Et quanquam neque tua neque collegarum tuorum, MORONI, & CORNELII, de viatico mihi impetrando summa contentio quidquam profecerit; æquè tamen vobis omnibus, deo, ac si profecisset plurimum. Est enim animi liberaliter instituti, spectare voluntatem in primis; minimè quidem rem contemnere, potior tamen ipsa re voluntatem ducere. Sanè optimi Pontificis angustias temporum difficultas excusat; veruntamen ingravescenti hominem ætate, non solum infirmâ, sed etiam ægra valetudine, imparatum à re domestica, cum filia nubili, ab urbe ROMA, cujus nomen omnia pollicetur, post decem annorum labores, suis sumptibus in patriam redire, iis fortasse, qui hæc solent animadvertere, admirationem aliquam pariet. Et, quanquam ea, quæ bonis artibus debentur, ratio temporum impediat, ut etiam liberalissimorum Principum voluntas in optimo benè merendi cursu retardetur; me tamen à literis nulla res abducet, si modò assequi otium licebit. Satis cum vulgo insanivimus: ambigua certis, turbulenta tranquillis, inania solidis præferentes.

Mm 3

Ætas,

bellò, florentem, ut in summa pace, rebus somnibus, quæ vel ad usum corporis, vel ad animi delectationem pertinent. Quò dolere interdum, ac penè mihi succensere cogor, quæ tot bonis, tanta tranquillitate, tanto etiam nobilium virorum erga me amore tam diu me carere sim passus. Lucri tamen id factum est, quòd, nisi hinc discessissem, diuque abfuissem, hæc ipsa profecto, quibus nunc ex intervallo recuperatis jucundissime fruor, nunquam omnino, quanti essent, intelligere potuissem. Itaque est, cur immortalis DEO gratias agam, habeamque maximas, quòd mihi occasione gravissimi morbi, missionis à Pontifice petendæ, ipsi Pontifici concedendæ mentem attulerit. Alioquin nec satis decorum putassem, nec unquam omnino commissem, ut ante pactam diem negotium publicum, Urbemque relinquerem. In discessu commoda quædam sperabantur; nec defuit intercedentium dignitas, auctoritas, gratia: ratio temporum est adversata, Pontifice naturâ liberalissimo, Turcicum bellum, & præsentis futuriqve sumptus necessitatem excusante. Mirum id videri nonnullis, ego, qui propemodum id, quod accidit, opinione jam præceperam, non sum commotus, ipsoque missionis impetratæ munere contentus, cetera non dixerim equidem contemnens, sed certè non maximi pendens, otii cupidus nihilò latior discessi. Nunc habeo cum valetudine negotium. Ejus enim morbi, quo me scis, Romæ dum essem, nec parum diu, nec leviter laborasse, molestæ admodum reliquæ sunt. Sed, ut spero, sublati jam cæulis, quæ morbum &

pepe-

pepererant, & alebant, sedulitate, ac fideli meorum curâ, adjuvante etiam huius cœli, quod in lucem editus primum hausi, benignitate, brevi omnino convalescam. Tu interea fac, ne officium desiderem literarum tuarum. Vale. Venetiis.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. VIII.

Villulâ Palcotti laudatâ, optat, ut sibi cum ipso in eadem villâ vivere liceat, multâ salute dictâ magnis urbibus: in quibus cum magnæ sint occupationes & miseria, mavult in loco ab arbitris remoto, quod reliquum est vitæ, transigere, modò id per domesticas difficultates sibi liceat.

Nægo istam villulam vehementer amo, quæ te fessum urbanis curis levat, reficitque secessu, & otio jucundissimo: ubi te colligis, animumque transfers ad contemplationem pulcherrimarum rerum: quid agas, quid cures, lex nulla præscribit: scribis, aut legis, arbitrato tuo: modò aprica deambulatione, modò prospectu collium, quandoque aperto puroque cælo gaudes. Nimirum hoc est vivere; & ista solitudine, isto vitæ genere, nihil beatius. Cur ego tam longè absum? Cur negotiis impedior iis, à quibus quo magis ut disjungar, divellarque operam do, eò me distringunt, retinentque magis? Mihi crede, si rerum domesticarum soluta ratio esset, advolarem ad te statim, in ipsam inquam villulam rectâ me conferrem, ut tua consuetudine, tuis sermonibus, tuo convictu fruerer: te denique discedente, custos remanerem, pomarii

PAULI MANUTII
MATTHÆO SENAREGÆ,
GENUAM.

EPIST. IV.

*Queritur de propinqui illius tarditate in itinere.
2. Hortatur ipsum, ut Simiolum fictis verbis utentem, a li-
store publico, ad iudicium vocandum curet, ut tandem ali-
quando evomat, quod debet.*

*Form. Gratias agendi. Ibi: Quod si accide-
rit. (A)*

JAm prorsus de velluto spem abjeceram, (utar
Jenim noto verbo: nam veteres aliter loqueban-
tur) nisi tu, rursus ut eam susciperem, tuis prox-
mis literis effecisses. Expectabo igitur, & quidem
brevis, (sic enim vis) adventum propinqui tui,
quem, arbitror, in itinere Philosophos ambulantes
imitari. Nam tribus mensibus non modò Genua,
sed ab ultima Lusitania facilè ad urbem pervenire
potuit. Verùm ego fortasse calumnior: & illi mo-
ram, homini industrio, & agenti strenuè suam rem,
negotia diuturniorem, quàm opinabatur, Floren-
tiæ, vel Senis injecerunt, sic enim existimo: reli-
quæ ferè per jocum. Simiolus, ut video, tibi quo-
que molestus est. Duci enim te vides fictis verbis:
nihil cohortatione, nihil admonitione profici:
quidquid dicat, inane esse. Itaque molestiâ te af-
fici, necesse est, vel meâ causâ, vel quia rei te mo-
vet indignitas. Ac vereor, ne semper eodem locò
sumus, nisi tu des operam, ut ei per aliquem tuorum
iudicium intentetur, & à listore publico vocatus
ad

ad iudicem, seriò rem agis entiat. Artes hominis prædixi. Quò turpius est falli, & finire eum diutius tibi verba dare. Quare, si me amas, quacunque viâ potes, urge, & contende omnibus nervis: quanquam hæc quidem res tuis nervis digna non videtur: sed contende tamen meâ causâ, ut evomat aliquando quidquid debet. Quod si acciderit, (A) atque adeò cum acciderit: cure enim dubitem, quin diligentia tua fructum pariat? non dicam, tibi agam gratias: non enim pateris: sed tibi acceptum referam, ut alia multa. Quæ si obliviscar, hominem me esse non putem. Vale, vale iterum, mi suavissime Matthæ; tibi que persuade, me nullâ magis in re, quam in tuis literis, in amore, in studiis, officiisque erga me conquiescere. Romæ.
XIIIX. Kalend. Octobr. M. D. LXX.

ANDRÆ ANTONINO,
OSTIANUM.

EPIST. V.

Excusat se de silentio, & causam ejus confert in occupationes, in morbum, & iter Romæ Venetias susceptum: in quo itinere se à morbo liberatum quidem scribit, sed alio admodum restrictâ esse, quod malum sperat se medicorum consilio depulsurum.

Nisi me valde amares, quod multis argumentis intellexi, subirasce te mihi crederem, quòd literis tuis amantissimè scriptis nihil unquam responderim. Sed si, cur officio defuerim, audias: non dubito, quin omni me prorsus & inhumanitatis, & negligentie suspicione liberandum putes. A quo

M m 5

enim tempore Româ discessisti, nullô difficultatis incommodique genere, nullâ ferè dixerim miserâ negotia nostra caruerunt. Ex ea solitudine, ac laboris assiduitate incidi in morbum, cujus primum vi deterritus, deinde etiam diurnitate defessus, tentatis propè rebus omnibus, cum neque periculi, neque molestiæ finem viderem, cepi consilium in patriam revertendi; extremoq; Septembri mense, dissuadentibus medicis, & amicis, æger in viam me dedi. Pisaurum usque morbus ingravescere visus est; adspectu maris, quasi jam in oculis diu expetita patria esset, propinqui boni spe, animus corpori medicinam fecit. Febris abiit, antequam Pisauo solveremus: ita Venetias, refecti cibò, paulo firmiores appulimus. Malum illud remanet, ut inveteratis morbis ferè contingit, quòd alvo sumus ita siccâ, itaque restrictâ, nullo prorsus ut cibi genere molliri solvique possit. Quod si perpetuum esset, quid miserius? Sed, ne perpetuum sit, curabimus, & cavebimus, quibuscunque rebus poterit; his primum, quæ sunt in nobis ipsis, quiete corporis, hilaritate animi, ratione victus: tum iis etiam, quæ à medicorum scientia, consilioque proficiuntur. Habes id, quod optasse te arbitror, de statu meo: tu, si placet vicissim aliquid te tuo. Cum enim de te, tuisque rationibus certior fieri pro nostra necessitudine majorem in modum cupio: tum sermone literarum tuarum purissimo, atque elegantissimo, mirificè delector.

Vale. Venetiis-

FRAN-

FRANCISCO MORANDO,
VERONAM.

EPIST. VI.

Exponit causam, cur Româ discesserit: & se jam quidem a febre liberatum, scribit, sed adhuc morbi reliquias superesse. Deinde, se ad ipsum ex balneis Gauderinis excursurum, significat.

QUæ me causâ, minimè naturâ proclivem ad nova consilia, nunc impulerint, ut negotium illud Romanum, quod Pius Pontifex Max. decem abhinc annis honorifico quingentorum scutatorum stipendio mihi demandaverat, rejiciendum putarim, non facile est scribere: velim quidem existimes, ejusmodi esse, ut aliter statuere meis rationibus alienissimum fuerit. Illud certè fieri non poterat, ut cum illo mihi amplius cœlo conveniret. Quod experiri, constantiæ causâ, dum cupio, parum absuit, quin ipsius cœli adspectum, usumque perdiderim. Novum igitur consilium capiendum necessariò fuit, si modò mihi carus esse vellem, si salutis, quam omnes antiquissimam habent, rationem ducere; si denique vitæ munus, à DEO datum, eò usque tueri, & custodire. quoad ille ipse, qui dedit, arbitrato suo repeteret. Veni domum; hic verò me summa quies, & domestica commoda, maximeque fidelissimæ, atque amantissimæ conjugis cura tanta, quanta potest esse maxima, plane recreavit. Febris abiit, nec tamen valemus. Morbi enim reliquæ supersunt, magis propè timendæ, quam

quàm morbus ipse: quî enim valere possum, aut etiam quid non timeam, cùm attenuatum, exsiccatumque corpus naturali munere fungi suâ sponte nunquam possit? Quæ res neque molestiæ parum habet, & si inveteraverit, periculô non vacat. Hoc igitur malum nisi depulero, valere me non dicam. Studia nostra, remissa occupationibus, retenta tamen animô, attingere nondum audeo; ne stomacho, unde fluxit omne malum, præpropere cupiditas obsit. Sed heus, mi Morande, quando te complectar? Quando adspectu, sermoneque fruar tuo? Tuné ad nos, an ego ad te prior? Ego scilicet ad te. Ire enim, cùm per anni tempus licebit, ad Gauderina balnea decretum est; quæ quater antea sumsi, nec unquam sine fructu: nunc eò sumam diligentius, quòd majorem ætas, morbi que gravitas, ac diuturnitas cautionem postulat. Inde excurram ad te, ut te videam, te complectar, tecum sim. De cydonite illa, exquisito artificio confectâ, qua carui tot annos, interrupto locorum intervallo officii tui cursu, nisi tua sponte ad consuetudinem redieris, appellabo te quasi meo quodam jure, sic tamen, ut ipsum jus è tua fluxisse benignitate confitear. Vale, mi suavissime Morande, nosque, ut solebas, ama. Venetiis.

CAMILLO PALÆOTTO,
BONONIAM.

EPIST. VII.

Gratulatur sibi ipsi, quod relicta Româ in patriam redierit; ubi, cùm à propinquis & amicis sit summâ voluptate

exce-

exceptus, Deo gratias agit, quod à Pontifice missionem petierit & impetravit, licet sine viatico fuerit dimissus: Valetudinem se brevi recuperaturum sperat.

Putastine unquam fore, ut ego me Romanarum occupationum è vinculis eximerem? certe factum vides. Nec mihi venit in mentem ejus consilii pœnitere: quin quotidie magis gratulor, quod illa reliquerim, hæc sim adeptus; quod ab omni curâ liber otio fruar honestissimo; quod ea nunc denique studia recolere mihi liceat, à quibus disjunctus tot annos vixi, vel potius planè non vixi: quæ enim mihi potest esse vita sine literis? Valeat ambitio, fucatus opum splendor; nihil est, quod cum suavissima librorum consuetudine conferri jure possit. Quâ mente cum essem, commisi tamen, ut aliter sensisse videar, cum sententiam nunquam mutaverim; nam ad urbem Romam eò quidem consiliò sum profectus, domesticis ut rationibus consulere, simul tamen id spectans, ne delitias meas, optimarum studia doctrinarum, prorsus defererem. Aliter cecidit. Qvis me accuset inconstantia? Vicit meam voluntatem potestas eorum, quibus, ut æquum est, non minus libenter, quàm necessario, parui. Sed mitto præterita. Quasi enim, ea dum attingo, vulneris obductam propè cicatricem renovo. Hic me propinqui, familiares, noti pariter atque ignoti, redeuntem excepere voluptate summa. Urbem privatis ædificiis elegantior, & publicis operibus magnificentior, quàm reliqueram, inveni: præterea, quancquam ardente bello,

Ætas, & præteriti jactura temporis admonet, ut resipiscamus, quodque reliquum est vitæ, vivamus nobis ipsis, bonis artibus, Deo potissimum; à quo uno, si quid aut ingenii, aut doctrinæ in nobis est, cum acceperimus; ad ejusdem unius gloriam omnes ingenii, doctrinæque fructus referre inprimis æquum est. Vale, & tibi persuade, neminem esse, vel unquam fore, qui tuam præstantem virtutem aut magis amet, aut libentiùs prædicet. Cardinalem Carasam, juvenem natum ad immortalem gloriam, exemplum antiqva probitatis, cujus humanitati, qua me semper est complexus, debere me plurimum fateor, nisi grave est, meo nomine salutabis. VII. Kalend. Octobr. M. D. LXX,

EIDEM, ROMAM.

EPIST. III.

Narrat Sirlento, quibus rebus molestias itineris solatus sit. 2. Quomodo in curanda valetudine laboret, & quanto desiderio studiorum teneatur. 3. Ipsius virtutem se imitaturum, & amorem conservaturum promittit.

Form. promittendi suum amorem. Ibi: Cupio conservari. (A)

Quidquid tuli, dum in patriam revertor, suave est: tuli autem aspera, gravia, difficilia, sanè quàm multa; & eo magis, quòd asperitates omnes ægra valetudo, & corporis imbecillitas, vehementer augebat. Quæ dum ferrem, hæc mecum loquebatur animus: Sustine, præteritorum memoria, futurorum spe; & cogita, quas turbas reliqueris,

ris, quibus laboribus emerferis, quam tranquillitatem, quam quietem, petas. In patriam tendis, refertam bonis omnibus. Ibi te complexu excipiet dulcissima conjux, languentem fovebit, infirmum reficiet, afflictum sublevabit: nullum obsequii studiique munus abesse patietur. Erat hæc duris in rebus optima consolatio. Itaque lætus nonnunquam eram, in dolore, ac molestia comitum meorum. Nunc affectus ea, quæ speravi, in unam curam incumbo, ut perditam valetudinem restituam. Diuturnitate morbi, & inediâ, corpus jam, & vires amiseram. Accessere itineris incommoda, quibus ita consumptus humor omnis est, ut nimîâ siccitate vitæ periculum impendeat. In revocanda potissimum τῆς νοσήας ὑγίαιας medici laborant; quam si assequor, convaluisse mihi prorsus videbor. Dico non potest, quo desiderio teneor studiorum nostrorum. Quasi cervus ad fontem, si per valetudinem licebit, sitibundus accurrat. Tua mihi consuetudo, tua virtus ante oculos erit: quam imitari non desinam; & eò quidem animo, ut in ipsa imitatione magnam felicitatis meæ partem statuam. Assequi enim, quod optimum, atque perfectissimum, non cuivis contingit; velle tamen, & conari, non mediocri dignum laude ducitur. Cupio conservari (A) veterem amorem in me tuum, meritis quidem à me nullis, perpetua tamen cultum observantiâ, quam eandem semper, aut etiam, si modò ad eam accedere quidquam potest, quod ego non arbitror, majorem fore tibi confirmo. Vale.

MAT.

praefectus, villicus planè tuus. Quod si accideret, ut istic exfulare perpetuò cogerer, modò te interdum sociò, modò cum libellis, præclarè mecum actum putarem: multam salutem urbibus, multam honoribus, in quibus ceteri insaniunt, libenter dicerem. Quid enim expectem amplius? Didici jam, & magna mercede sum expertus, quàm inania sint illa, quæ, communi deceptus errore, præclara duxeram. Magnæ urbes magnas occupationes, ne dicam miseras, habent. Si quem delectat ambitio: si quis augendæ rei familiaris curâ tangitur: si sententiam in curia dicere, aut à multis in foro salutare, inter summa ponit: urbem amet: me quidem posthac æmulum, rivalemque non habebit unquam. Ætas nostra, mi Camille, ad otium vergit. Vides, quam fluxa sint omnia: quàm facile hunc & illum, florentes opibus, florentes ætate, repentina mors auferat: ut hoc ipsum, quod spatii nobis relinquitur, totum in lucro deputandum esse videatur. Ac fieri quidem potest, ut diu vivamus: sed, obsecro, quid erit, cur nos diu vixisse lætemur, inter domesticas curas, inter hominum fraudes, infidelitates, insidias, addo etiam publicas calamitates, quibus anguntur boni viri, quales nos & esse, & haberi volumus? Amplectamur igitur studia nostra: remota ab arbitris loca, amœna, salubria, quæramus: vulgi stultitias ineptiasque vitemus, animos excolamus, ut eas fruges ferant, quas nec cæli calamitas corrumpat, nec malus vicinus furto subtrahat, nec belli sævientis impetus devastet. In hac sententia te esse, & idem probari utri-

utrique nostrum, literæ tuæ, non minùs eleganter, quam prudenter, scriptæ significant. Sed impedita, propter domesticas difficultates, mea ratio est: tuâ longè facilior, & expeditior. Nihil enim obstat, quò minùs id, quod jus, exsequi, & præstare possis; ego voluntate, & cogitatione pascor: ab ipsa re quàm longè absim, intelligo. Nec tamen parum profeci: quod ab Urbe Roma discessi. Ibi enim ne spes quidem erat otii, hic sæpe vaco; nec tempus perire sino; sed, quòd otii perpetuitate careo, identidem interpellantibus, aut hominibus, aut negotiis: & quòd angusta nimis utor domesticare; ideò fit, ut conari, & instituere multa possim, absolvere & perficere, præsertim quod expectationi respondeat, nihil ferè possim. Habenda est etiam ratio valetudinis: quam vereor, ne in longum tempus affligerit Romanum cælum, dicam, an negotium? An utrumque potius? Quod ita esse reor. Sed, si valebo, si rem familiarem ita constituam, ut absentis animum nihil pungat; imitabor, quantum in me erit, consuetudinem tuam, expertemque culpæ voluptatem quaram. Et, quod te quoque facturum esse, vel potiùs jam facere cœpisse video, in literis, in colenda pietate, in summi Dei, summique boni amore, & cupiditate conquiescam. Vale. Venetiis. Idib. Decembr. M.D.LXX.

EIDEM, BONONIAM.

EPIST. IX.

Bandæ Palæotti vitam rusticam, & ad porrò colendam

N n

damm

dam ipsum hortatur: optatq, ut sibi quoque eadem voluptate frui liceat.

Nihil gratius oleis, vel earum magnitudine, vel condimenti suavitate, vel ipso amore tuo, qui te, ut mitteres, admonuit. Hispanis honorem tribuat nobilium mensæ, qui magnitudine ceteris antecellunt: mihi nescio quomodo subinfulsæ videntur; tuæ nec magnitudinem desiderant, & carnis habent multum, & præstanti sapore commendantur. Quare non *dixitay*, sed præclare collocatur industria tua in oleario colendo, in quo multa consequeris. Tibi, post urbanas curas, voluptatem quæris; domesticam rem juvas: quanquam te quidem hoc arbitror in minimis ponere: amicos muneribus afficis: in quibus me non postremum locum obtinere, ita lætor, ut hac una sæpe cogitatione in magnis molestiis non mediocri solatium inveni-
 Fruere, mi Camille, ista voluptate, qua nihil honestius: isto industriæ genere, quo nec liberalius, nec nobilius quidquam esse potest. Scis enim quid de sapientissimis viris proditum memoria sit: agrestem eos vitam, expertem deliciarum, ab omni luxu, atque ab illa bonorum morum corruptrice copiâ remotam, victu cultuque simplici contentam, urbanæ prætulisse; agrò benè culto, & ipsâ largo sinu suas opes effundente naturâ, nihil vidisse libentiùs. Quid magni Reges? Nonne suâ manu satas pulcherrimas arbores, apto ad speciem ordine, jucundaque descriptione dispositas, exterrarum nationum legatis gloriæ causâ ostentabant? Hos qui student imitari, quis eos jure reprehendat?
 Uti-

Utinam fundus meus abesset propius, aut eâ saltem regione esset, ubi cœli gravitas minimè timenda videretur. Mihi crede, olearia ego quoque instituerem, rusticis me oblectarem operibus, valetudini simul animoque consulerem. Quod aliquâ tamen ut ratione consequar, quocunque locô, quacunque regione operam dabo. Nam hic diu commorandi spem auferunt multa, sed maximè frigoris injuria, & vinorum austeritas: quæ tenui corpore, imbecillo stomacho, ferre vix possum, vel planè nullo modo possum. Itaque de migratione cogitandum. Vale. Venetiis. Kalend. Januar. M. D. LXXI.

FRANCISCO CICEREIO,

MEDIOLANUM.

E P I S T. X.

Provocatus à Cicereio ad colendam cum ipso amicitiam, excusat primò tarditatem in respondendo, ejusque causam confert in valetudinem adversam & discessum suum ab Urbe Roma. Deinde cum amicitia ex iisdem studiis & moribus nascatur, (quod probat exemplo Ferrarii, Capre & Crucei,) delatum ad se per literas amoris munus magni se facturum, in eoque augendo plurimum laboraturum, ostendit.

Form. pollicendi amorem mutuum. Ibi: In quo tuendo. (A)

QVAM vereor, optime ac doctissime Cicerei, quia seriùs epistolæ tuæ respondeo, ne quid suspicere de me duriùs; quod certè non debes. Quo de-

nim tempore mihi Romæ reddita est, gravi morbo laborabam: neque convalui, nisi post multos menses, nec in urbe, sed in patriam reversus. Nam valetudini meæ cælum illud, quò usus eram antea perbenigno, adversari, & obesse ita cœperat, diutius ut ferre non possem. Itaque fuit omnino, ut vitæ consulere, ab urbe discedendum. In quò summi Pontificis clementiam, & facilitatem laudabo nunquam satis: qui, de langvore meo certior factus, cum adhuc muneris mei susceptæque provinciæ menses non pauci superessent, abeundi tamen potestatem petenti æqvissimò animò concessit. Quam quidem ejus benignitatem tanti æstimo, quanti suam quisque vitam & incolumitatem æstimare debet. Vivere enim diu me posse, aut rectè saltem & firmiter unquam valere, si permanerem ubi cœperam ægrotare, febri præsertim adhuc urgente quovis idiana, planè desperabam. Hæc si tu nosti: non dubito, quin purgatus tibi satis superque sim. Id enim æqvitas, & earum artium, quas magna cum laude profiteris, humanitas postulat. Sin autem de statu meo nihil accepisti: mirari te fortasse non nihil decuit: male tamen de me, quasi officium negligerem, aut inhumanitatis vitio laborarem, quem scires ab homine omnium officiosissimo, atque humanissimo, Octaviano Ferrario, diligere, existimare non oportuit. Inter diversa enim studia, dissimilesque mores, amicitia non oritur; aut, si oritur, non diu certè conservatur. Similem sibi quisque ad amandum deligit; in quo errare se non putat; sed, si errat, judicium judicio meliore corrigit, dissutâ,
non

non
At m
plus
mun
doct
fuet
qvi
sum
meri
gum
tes:
vita
liger
displ
Bart
in co
poti
prob
tus,
puls
and
ro m
erga
naru
Qva
qvò
tant
ceñ
is:
stan
(na

non discissâ, ut à sapientibus præcipitur, amicitia. At mihi cum Ferrario triginta jam annos, eoque amplius arctissima intercedit necessitudo. Quo primum die mihi cognitus est, ingenium, & futuræ doctrinæ principia perspexi: postea mores in consuetudine probavi: inde ortus est utrinque amor: qui ne unquam deficeret, aleretur potius, & ad summum perduceretur, ille suæ virtutis, ego meæ meritis in illum observantiæ, præstitimus. Hoc argumento, tu vide quid tibi sentiendum de me putes: ego, cum Ferrario, tali viro, cujus non minùs vita quàm scientia, bonis omnibus, recteque intelligentibus probatur, placere me video, ipse mihi displicere non possum. Nam quòd unà cum eo Bartholomæum Capram, Hannibalemque Cruceium in cælum fers: planè tecum sentio, vel tu mecum potius. Multi enim sunt anni, cùm, & hominum proborum, atque eruditorum celebri sermone commotus, & Ferrarii testimonio: quo quid gravius? impulsus, utrumque cœpi diligere. Capram, jam tum audiebam, præter jus civile, dignamque nobili viro multarum literarum scientiam, insigni quadam erga bonos omnes, præsertim liberalium disciplinarum amore flagrantem, liberalitate excellere. Quæ laus eò pluris in privato cive debet æstimari, quòd minùs hodie in iis, qui beati propter opes putantur, id est, in Principibus ipsis agnoscitur. Cruceii humanitatem expertus sæpe sum in rebus meis: doctrinam è scriptis ejus non vulgarem, præstantem eloquentiam duxi. Quis igitur dubitet, (nam te quidem vix arbitror) quin à *ἑλωμα* illud a-

pud me valeat, quod tu lepidè, vereque induxisti: si tibi cum iis viris, quos ego vehementer amo, vehementerque colo, optimè convenit, sequi omnino, ut mihi quoque tecum optimè conveniat. Sed, mihi crede, his argumentis jam non eget virtus tua: quam probavit, largita tibi sua jura, civitas omnium nobilissima: probavit, mandato tibi publice docendi munere, senatus ille, cujus ad sapientiam & justitiam, quasi ad sacram anchoram, rebus adversis, aut dubiis, omnes confugiunt: probarunt denique suo testimonio, suaque commendatione, tres illi viri omni prorsus laude cumulati. Quæ cum specto, mecumque cogito, munus hoc amoris tui relatum ad me per literas, & eas literas, quibus ut nihil humanius, ita nihil possit esse ornatus, quantum sit, intelligo. In quo tuendo, (A) augendoque rebus iis, quæ significationem habere poterunt voluntatis meæ cum tua laude conjunctam, partes meæ non desiderabuntur. Tu velim existimes, quod tibi nunc libenter promitto, multò facturum esse me opportuno tempore libentius. Id si credis; & si utendum tibi statues in omni tua re studiis, officiis, facultatibusque meis, & eo quidem animo, tanquam ea tibi non recentis, aut dubiæ, sed veterimæ, & multorum annorum usu confirmatæ benevolentia jure debeantur: erit hoc alterum humanitatis tuæ non vulgare munus: quo me tibi devinctum perpetuò fore polliceor. Vale.

Ex oppido Plebe Sacci. VII. Id. Nov.

M.D. LXX,

OCTA

EPIST. LIB. X. 567
OCTAVIANO FERRARIO,
MEDIOLANUM.

EPIST. XI.

Significat Ferrario 1. se relicta Roma in patriam rediisse. 2. De suo & suorum statu illum facit certiores; imprimis vero rusticationem sibi placere, in eaque se studiis vacare, & opus quoddam aggressum esse narrat, quod absolutum, ipsi probatum iri sperat.

MI Ferrari, si me tantum amas, quantum profecto amas; gratulari te mihi æquum est, quod exoptata diu patriæ compos denique factus post annos decem, tenui fortunâ contentus ita vivo, ut Regum opes honoresque contemnam. Carebam otio, studiis, rebus multis ad meam naturam aptis: quæ mihi nunc omnia DEI benignitas restituit: iisque fruor eò suavius, quò fit usus desiderii diuturnitate jucundior. Si quid præterea non tam de meo, quàm de meorum statu scire vis, ut ferre, qui amant, curiosi sunt omnes, hæc accipe: Uxor, & filius in urbe, commoda uterque valetudine, illa rem domesticam, hic officinam, emendandorumque librorum curam administrat egregiè. Mihi, tædiò diutinæ commorationis urbanæ, rusticari vehementer placet. Quò primùm afflictæ diuturnò morbo valetudini consulimus, & imbecillo corpori vires addimus: deinde, quasi quibusdam exsolutus vinculis, liberè vagatur, & voluptate pascitur animus honestissimâ. Nullis hîc angimur curis, nullis implicamur negotiis: licet id, quod antea nunquam licuit, prorsus nihil agere, si volumus:

mus: & quod licet, sæpe volumus. Nam vehi curru, oppida invisere propinqua, amicorum villulas obire, convivari etiam interdum, suavissimisque epulas condire sermonibus, hoc ipsum voco nihil agere. Quanquam, qui valetudine parùm firmâ, operam dat, ut suaviter, jucundè & honestè simul vivat, is profectò nihil agere mihi non videtur. Sed in hoc tamen vitæ genere libros, communes delicias nostras, abjecisse me penitus nolim existimes. Nobiscum ubique sunt, comites nunquam molesti, loquentes, silentes, cùm volumus, quoad volumus: & quanquam veteris morbi reliquiæ quædam supersunt, & vires adhuc languent, quiddam tamen aggredi sum ausus; quod si, ut spero, absolvam; & si, ut principia dare se videntur, ita procedet industria, vel à te probabitur; (à te cùm dico, qui subtiliter, & sincerè judicant, simul omnes intelligo. Tu enim is es, quem nec opinio fallat, nec voluntas à veritate detorqueat) vel, quin me putes omnis expertem ingénii, nec de mea nec de cujusdam omnino facultate statuere, & existimare quidquam posse, non recuso. Locus ipse me, vacuus interpellatoribus, & hæc vivendi, arbitrati meo, rerum omnium dulcissima, optata antea potius, quàm sperata libertas invitavit, ut ordiret id, quod, nisi sedem hic statuo, aut certè, nisi in hoc secessu, & in hac penè solitudine (nam si cum urbe conferatur, quanquam celebre satis oppidum, solitudo tamen quædam videri possit) majorem anni partem consumpsero, vereor, ne serò admodum, fortasse etiam pertexere nunquam liceat:

opus

opus est nec temporis, nec laboris exigui. Tempus hic, ut video, deesse non potest: Laborem communis utilitatis gratiâ nunquam adducar, ut fugiam: interim tamen, superiore periculo admonitus, operæ curæque plus in valetudinem, quàm in studia conferam. Vale. Ex oppido Plebe Sacci.
VI. Id. Nov. M.D.LXX.

HENRICO ET CAMILLO CAETANIS, FRATRIBUS,

Bonifacii Principis filiis,
Romam.

EPIST. XII.

Significat fratribus Caëtanis. se in patria jam tranquille vivere, studiis suis frui, nec animum Romam reverendi habere, quantumvis majore stipendio vocetur: sed cum jam senex sit, de vitæ exitu cogitare: simulque sibi gratulatur de ipsorum in eloquentia profectu: ad quam colendam modeste illos hortatur.

Lætari vos arbitror, nobilissimi adolescentes, pro vestra erga me benevolentia, meo in patriam reditu, minimè dubitantes, quin tranquillè vivam, vacem iis molestiis, quibus in Urbe Roma carere vix poteram; fruar iis studiis, cum quibus voluptatem nullam confero. Nam de fructu, quem posteritas capere possit ex industria mea, nihil dico. Conatus, equidem à puero sum, idque mihi propositum in omni vita fuit, ut omnibus meo labore prodessem: utrum autem, quod sequebar, assequi licuerit, ad meum judicium non revoco:

N n 5

vide-

viderint ii, qui nostra legent. Ego mihi temerè nihil arrogo, nec assentor libenter, aut ita gloriolâ ducor, ut falsæ opinionis errore, quod video multis contingere, oblectari me sinam. Qvòd si nihil aliis prodesse possam: benè tamen mereor de me ipso, dum ea lego, quibus curæ sedantur, dissipatusque perturbationibus animus colligitur, & ab admiratione rerum inanium ad veræ solidæque felicitatis cupiditatem traducitur. Hôc bonô Romæ carebam, quia carebam literis & otio, molestissimis implicatus occupationibus, quarum ipsâ nunc recordatione commoveor. Itaque, cum opinari & credere nonnullos audio, eo me consilio ab urbe discessisse, ut recuperata valetudine, redirem; ita statuo, vel eos ignorare, quàm infeliciter mecum actum sit, quàm diu Romæ vixi; vel in illo quingentorum scutatorum stipendio tantum ponere, ut easdem subire molestias cum eodem expediat emolumento. Qui si naturam moresque meos tenerent; profectò longè aliter sentirent. Non enim aut stipendium illud, aut ulla me lucri cupiditas Romam perduxit: quanquam hæc privata sortis homo non contempsit: sed spe sum allestus propè certâ, vitæ cum dignitate traducendæ, fruendi nonnunquam studiis meis, amicorum consuetudine, voluptatibus etiam homine ingenuo, & liberaliter educato non indignis. Quàm contrà ceciderit, vos optimè nostis. Nunc, vel si stipendio vocarer multò majore, sic insanirem, ut meam quietem, divino mihi munere post annos decem restitutam, mea studia, ipsam denique valetudinem ullo pretio

tio venderem? Tum verò, si eadem illa contingerent, jure plecterer: nemo excusatione aut veniâ dignum duceret; nemo querentem audiret: nemo opem ferret imploranti: ad avaritiæ culpam, & immodicam habendi libidinem converterentur omnia. Præstat igitur sapere, id est, quam alii fortunam admirantur, eam contemnere, paucis acquiescere, & iisdem contentum esse, quibus ipsa contenta natura est: quæ, dum vitæ arceantur incommoda, & alimenta suppetant necessaria, præterea nihil desiderat. Jam ætas, & valetudo hæc admodum infirma, illa quotidie magis ingravescens, admonent me, cupiditate ne provehar longius; vela citò contraham, & impendentes futuræ vitæ procellas extimescam. Itaque facio non invitatus, ut, cum hujus peregrinationis exitus haud longè distet, non tam de via, quæ minima restat, quam de exitu ipso, qui principium afferet æternæ vitæ, cogitem, atque elaborem. Hæc ideo collegi, ne quando vos, aut aliquis potius vestri dissimilis, (nam id quidem à prudentia vestra expectandum non videtur,) displicere mihi consilium meum suspicari posset, quod in patriam venerim. Quod utinam bienniò maturius fecissem. Non incidissem in eum morbum, quo valetudinem in perpetuum ferè perdidì: studia fortasse mea fructum studiosis aliquem tulissent. Una tamen ex hoc naufragio tabula me delectat, quod opinione fruor amoris in me vestri, quod ex disciplina præceptisq; meis maximum vos in ea via, quæ ad eloquentiam ducit, fecisse progressum intelligo; quod perspe-

cta

Et denique indole, voluntate, industria vestra, augurari facile possum de futura gloria: nec locum habet adhortatio: curritis enim vestram sponte, quod patri Cardinalis dignitas, & virtus, quod parentis integritas, & sapientia, quod avita decora, & majorum nomen immortale vocat. Valete. Venetiis. IX. Kal. Dec. M. D. LXX.

JOANNI CASELIO, AD ARCEM SUCRINIAM.

EPIST. XIII.

Premissa excusatione raritatis literarum, respondet ad Caselii literas commendatitias, & primo, ad se commendatos verbis humaniter excepisse, sed re non juvare, significat, cum operam suam non expetant. Deinde illos a modestia & morum elegantia, commendat.

Form. Deferendi alicui studia sua. Ibi: Mihi autem, cave putes. (A)

URbem Romam ante duos menses, difficili diuturnoq; coactus morbo, reliqui. Melius omnino mihi nunc est: nec dum tamen ita valeo, ut intermissa officia repetere audeam. Libros parca attingo: amicorum literis, nisi grave sit argumentum, aut breviter admodum, aut prorsus nihil respondeo: negotia reliqua, ut valere ipse possim, valere jussi. Ea re nec scripsi ad te antea, & in posterum, ne quid oneris mihi imponas, quod infirma ferre valetudo nequeat, a te peto. Familiares tuos, nobiles adolescentes, Joachimum Bassavitium, & Nicolaum Rascium, verbis perhumaniter accepi: re
non

non juvo; quia nec ipsi rogant; & mihi, quid eorum causâ præstare possim, ipsis non rogantibus, in mentem non venit. Modesti sunt homines, & morum elegantia præditi: ingenio, & literis, cum à te diligentur, tuaque consuetudine sint usi, non dubito, quin pro ætate excellant. Ac sapienter quidem eos facere judico, quòd apud nos aliquamdiu sibi vivendum statuunt: præclaram enim indolem, materiemque virtutis haud mediocriter cælum Italicum adjuvabit. Quod eò magis lætor, quia redundabit ad te aliquid ex eorum summa laude; cum vel alumni fuerint disciplinæ tuæ: vel tuis hortatibus, consiliisque in Italiam, quasi ad mercatum bonarum artium, se contulerint. Mihi autem, cave putes, (A) gratius quidquam esse posse, aut curari à me libentius, quàm quod ad existimationem pertinere tuam intelligam. Id adeò cum præstanti doctrinæ tuæ, studiis ad communem utilitatem spectantibus, tum summæ erga me perspectæ jam satis atque cognitæ benevolentia debere mihi videor. Vale. Venetiis. XIIX. Kalend. Januar. M. D. LXX.

HORATIO CARDANETO, PERUSIUM.

EPIST. XIV.

Gratulatur Cardaneto de amicitia fratrum Cætinorum, quos laudat à modestia & aliis virtutibus, rogatque ipsum, ut eos sibi commendatos habeat. Deinde negat, se bene nummatum Româ in patriam rediisse, cum de-

cem

cem annorum laboribus vix tria millia scutatorum collegis: sed animum habere paucis contentum affirmat.

GRatulor tibi, mi Cardanete, nec fauere magis ex animo gratulari possum, quod nobilissimorum adolescentum, Henrici, & Camilli Caëtanorum fratrum, auctus amicitia sis. Melior omnino reperiri ratio nulla poterat, quam ferrem aequius, eorum me consuetudine carere, quam quod utantur tua. Te enim vel studiorum similitudine, vel animorum conjunctione, vel mutuis etiam officiis quasi me alterum esse puto. Quam modestiam sint, quam gravitate, quam prudentiam, quam a communibus ingeniiis differant, quam a depravatis huius seculi moribus adhorreant; quia brevi admodum ipse intelliges, nihil dicam. Auguratus quidem antea sum, si diuturna utrique vita contingerit: quod in tanta bonitate, tam propensis ad veram laudem studiis, ab immortali DEO sperandum videtur: nullam esse gloriam tantam, quam non facile consequantur; nullos honores, qui non eorum virtutibus ultrò deferantur. Te rogo, pro eo quanti me facis, conferas in eos quidquid poteris officii, studii, observantiae; quodque facere cum omnibus, qui te norunt, solitus es, id tibi cum ipsis precipue faciendum putes, ut iis pateant opes ingenii, eloquentiae, doctrinae tuae. De meo statu, quidquid possum scribere, ut video, cognitum jam habes. In eo tamen erras, vel potius errare te coegit aliorum sermo, quod me bene nummatum in patriam rediisse putas. Decem enim annorum laboribus vix tria scutatorum millia, id est, quantum ad filiam collocandam

candam requiratur, colligere potuimus. Ita mihi nullæ pecuniæ, nullum vectigal, præter veterem frugalitatem, quod vectigal nullum est uberius, animi paucis contentum, relinquitur. Quare gratulari te mihi velim, non quod abundem, quod falsum est, sed quod tranquilla mente vivam; quod in studiis, quantum valetudinis ratio, permittit, quod cum meis, quod denique nullis implicatus negotiis, sed in summo otio, summa quiete, summa libertate, quæ sunt omnibus divitiis, rectè intelligentium judiciò, anteponenda. Vale, & illustrissimis Caëtanis salutem dices à me plurimam. Venetiis. VII. Kal. Jan. M. D. LXX.

ANTONIO ROLANDO,
PATAVIUM.

EPIST. XV.

Negat se petitioni ejus in corrigenda oratione locum dare posse, quod à re sua non tantum otii sibi sit, ut aliena legere possit. 2. De ducta uxore & susceptis liberis ipsi gratulatur.


ADhuc languebam ex vetere morbo; & filio non leviter ægrotante, eram sanè perturbatior: committere tamen nolui, ut epistolæ tuæ insigni præsertim Homérica magniloquentia, & benevolentia notis erga me tuæ, nihil omninò responderam. Quod petis, ut orationem tuam corrigam: primum id quidem necesse non est: cum scriptor sis luculentus, judicioque excellas: deinde verò tantum ab re mea mihi otii non est, aliena ut pos-

sum

sim legere. Aut enim non vaco: aut, si quid temporis conceditur, ad ea, quæ inchoata, rudiaque jampridem habeo, absolvenda, & perpolienda totum confero. Quare à te peto, ut habeas rationem & valetudinis & occupationis meæ. Ego, posteaquam in patriam reverti, negotiorum magnitudine defatigatus, ætate etiam admonitus, & Venuſini Poetæ versu, *Solve senescentem maturè sanus equum*, mihi & Musis duntaxat vivere conslitui, nullas suscipio curas, nisi quas rerum domesticarum necessitas imponit. Novas amicitias non expeto: veteribus colendis operam non do: cum uxore, liberisque suavissimam vitam duco. Hic enim dies, ut ille ait, alios mores, aliam vitam postulat. Amicorum copia, quid præter molestiam habeat, non video. Si quis aliter sentit, arbitrato ipse suo vivat: Ego malo mihi sapere, quàm aliis. De uxore à te ducta, de susceptis liberis, valde tibi gratulor. Nam etsi onus alendæ familiæ, durissimis temporibus, magna rerum omnium caritatè, perquam grave esse non ignoro: te tamen, virum bonum, peritum optimarum artium, tua virtus ex omnibus incommodis, ac difficultatibus eripiet: aderitque Deus, cujus eximia benignitas præclaris conatibus & optimis studiis deesse nunquam solet. Va-

le. Venetiis. X. Kalend. Januar.

M. D. LXX.



EPI.